

Petrus de Vinea

*Ep. II 44 (Etsi nobiscum
hactenus, postquam a Regno...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 44 (Etsi nobiscum
hactenus, postquam a Regno...)*

giugno 1248, Parma

Fidelibus suis, de uictoria habita contra uolentes iuuare Parmenses et de exactione pecuniae.

1. Etsi nobiscum hactenus, postquam a Regno discessimus, euentu uario fortuna certauerit, eatenus uerumptamen nos superiores in alea felicitas nostra constituit, ut iam, non uinci posse, sed uincere, procul dubio confidamus. 2. Ter sena proiecimus, uelut qui multitudine pugnatorum partem aduersam Parmensium ciuitatem, laborantem in ultimis, iuuare uolentem in tantum excessimus, ut inter uires nostras et suas, tamquam inter non participantia, comparatio nulla uel modica censeatur. 3. Vnum solummodo nobis ad festinam et plenam uictoriam deficit, quod ad sustentationem stipendiariorum nostrorum aliorumque fidelium, quos a remotis Imperii finibus ad participium uictoriae nostrae fortissimus fidei zelus imperatos et subditos euocauit, sufficientem pecuniam non habemus. 4. Ad quam tum ex uestro subsidio, quod numquam nobis defuit hactenus, o fideles, tum ex quibuscumque curiae nostrae prouentibus colligendam, et ad nos etiam cum summa festinantia destinandam, nec minus, ut uos de nostrorum successuum prosperitate letificet, uenerabilem Pactensem episcopum, dilectum fidelem nostrum, celeriter, immo cursim, duximus destinandum; ad cuius aduentum, preter mittentis imperium et affectum, quem ad uos non dominicum, sed paternum habemus, missae personae uos qualitas moueat, quam uelut obsequiis nostris perutilem, a nostris aspectibus separamus inuiti, nisi quod eo usque nos necessitas nostra perduxerat, ut corporis nostri partem si fieri posse salubriter natura permetteret, necessario misissemus. 5. Ad offerendum itaque nobis in hac parte subsidium

uestra deuotio non mutetur, quia id totum et integrum e
uicino uobis hylariter cum palma desideratae uictoriae
reddere pollicemur.